

*De terrae motu maximo.*

## CAP. XL.

Anno ab incarnatione Domini MCXLII in Italia maximus fuit terrae motus, quo scisi sunt montes quam plurimi, diruta castra, et campanile Ecclesiae Faventiae [a] crepuit cum ipsa Ecclesia.

Quando iuvenes fuerunt capti apud castrum Castellionis, seu Castri Leonis [A].

## CAP. XLI.

Destructis castellis quam plurimis, et inimicis devictis, stepissime mala de novo pullulare Faventinis non desierunt, more [b] drae serpentis, cuius [c] uno inciso capite, monstra nascebantur [e] quamplurima. Videntes itaque Faventini cives Ravennae et Forolivii in eorum podium pro posse Castillionum munire, quod infra paucos annos quasi cum quadam simplicitate [d] et sub specie recti de loco ad locum transtulerint; sub anno igitur nativitatis Domini MCXLIII iuvenes quidam, omnibus discretis et sa- pientibus eorum propositum nescientibus, in nocte conversionis Sancti Pauli ad prae-dictum equitaverunt castrum, quod cum totis viribus expugnassent, profecto, ut di-cebatur, cepissent, si sagittari quidam, quos duxerant, magis praedae quam praelio intenti, eos pro fide juvissent [e]. Dum haec ita gerebantur, supervenerunt Livienses, qui plures quam quadraginta ex nostris ceperunt iuvenibus, quosdamque occiderunt, ceteris vulneratis et fortiter flagellatis vix evadentibus, re tam grandi frusta incepta.

*De prima obsidione Castri Leonis,*  
seu Castillionis [f].

## CAP. XLII.

Postquam Faventini iuvenes illos, qui supra vires rem arduam inconsulte et stulte inceperant, neque suis neque suorum precibus amicorum [g] recuperare quiverant,

[a] Ecclesiae Faventiae. Sic legit cl. Mitt., vel etiam Sanctae Mariae. In margine C. M., aliena manu additur: Sancti Petri. Codd. alii lacunam habent. — [b] cuius, C. M. et cl. Mitt. Alii Codd. habent cui. — [c] monstra nascebantur, C. M. In C. V., nova nascebantur. — [d] cum quadam simplicitate, C. M.; sub quadam etc. C. A.; in quadam etc. C. V. — [e] pro fide juvissent, C. V. Pro fide juvassent, C. M. — [f] Castri Leonis, seu Castillionis. Nota quomodo supra scriptum fuit, et quomodo aliter hic scriba-tur. Modo enim Castellioni, modo Castillioni, modo Castilloni habet C. M. — [g] precibus amicorum. Sic lego Codd. M. et V.; periculis amicorum, cl. Mitt. legit.

[A] Vulgo, *Castel Leone*. Locus est ad dexteram viae, qua ab urbe nostra itur Forolivium, septem hinc fere milliariis distans.